



1455. 5
396
1753, 52

COMMENTATIO INAUGURALIS
COMPLECTENS
SELECTA IVRIS BREMENSIS
RATIONE CONTRACTVS
EMTIONIS VENDITIONIS

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO
DOMINO FRIDERICO

PRINCIPE HASSIAE HEREDITARIO RELIQ.
INCLITI IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE

VIRO ILLUSTRIS
D. LVDOVICO MARTINO KAHLE

SERENISSIMO PRINCIPI LANDGRAVIO HASSO-CASSELLANO
A CONSILII AVLICIS, ANTECESSORE ET FACVLTATIS
IVRIDICAE H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROVQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

ILLVSTRIS ATQVE AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI
DISQVISIONI SVBICIT

D. XX. IVLII MDCCCIII.
AVCTOR RESPONDENS

DETHARDVS SHOENE
BREMA-SAXO.

MARBVrgI

TYPIS PHILIPP. CASIMIR. MÜLLER., ACADEM. TYPOGRAPH.

L. a. Müller, Halle in. Bremm. von conf. ent. 1853.



COMMENTATIO INVENIENS
 COMPLETENS
 SELECTA IVRIS BREMENENSIS
 RATIONIS CONTRACTVS
 EMPTIONIS VENTIONIS
 LECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPIS
 AC DOMINO
 DOMINO ERIDERICO
 PRINCIPIS HASSAE HEREDITARIO
 IN ILLIUS PRINCIPALITATVM ORDINIS AUCTORITATE
 PRAESIDE
 VIRO ILLUSTRI
 B. FREDERICO MARTINO KAHLE
 SERENISSIMO PRINCIPIS LANDGRAVI HASSO-CASSIENSIS
 A CONSILII IVRIS AUCTORE ET FACULTATE
 VIRO M. A. D. D. C. O.
 PRO SVMMIS IN IVROOVE IVRE HONORIBVS
 RITE CAPESSENDIS
 ILLVSTRIS ATOVE AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI
 DISPOSITIONI SVBIECT
 D. XX. IVRII CHOCCELLI
 AUCTOR RESPONDENS
 BETHARDVS SHORNE
 BREMA-SAXO.
 MDCCLXXVI
 HUIS ENLIEP. GARM. MÜLLER, ACADEM. TYPOGRAPH.



LIBERAE ATQVE INCLITAE
SACRI IMPERII ROMANO-GERMANICI
REIPUBLICAE BREMENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO
VIRIS

PERILLVSTRI BV S MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIMIS

DOMINIS
CONSVLIBVS

HOS INTER
PARENTI

SVO OPTIMO INDVLGENTISSIMO
PIE DEVENERANDO

DOMINIS
SYNDICIS
DOMINIS
SENATORIBVS
PATRIAE PATRIBVS

RELIGIONIS LIBERTATIS SALVTISQVE
PVBlicAE
STATORIBVS VIGILANTISSIMIS
GRAVISSIMIS
IVSTITIAE PROPVGNATORIBVS STRENVISSIMIS
PATRONIS MVSARVM OPTIMIS
DOMINIS AC FAVORIBVS SVIS OMNI QVO PAR EST
HONORIS CVLTV NVNQVAM NON PROSEQVENDIS
COMMENTATIONEM HANC INAVGVRALEM
OFFERT ET CONSECRAT
DETHARDVS SCHOENE.



PRAEFATIO

Germanorum leges, contra Romanum ius, servaturi defensurique Proceres Imperii R. G. et imprimis civitates, constitutiones, quarum maxima pars seculo XIII. et XIII. prodiit, quibus temporibus iurisprudentia Romana prope in inmensum diffundebatur in patria nostra, confecerunt. Sane Bremensium iura statutaria seculo XII. iam viguisse, diplomata ostendunt Imperatorum HENRICI V. anno MCXI. FRIDERICI I. anno MCLXXXVI. composita, et aliorum Caesarum, tum apud LÜNIGIVM im Reichs-Archiv Part. spec. cont. VIII. pag. 218. sequitur apud illustrem MOSERVM im Reichstaedtschen Handbuche Part. I. pag. 214. et in excellentissimi CHRIST. GOTTLIEB RICCIi zuverlaessigen Entwurff von Stadtgesetzen pag. 24. seq. excitata. Ob eandem rationem Speculatores consuetudines et iura Germanorum litteris consignarunt tradideruntque posteris. Magna tamen ex hoc laudabili instituto originem traxit legitima scientiae confusio. Qui ius in foris et in academiis dicebant et docebant, rigidi nimis vel Canonici vel Romani iuris satellites, peregrinae Themidis maiestatem mirum in modum colebant; rudes Germanorum leges nec ad seculi ge-

A

nium

nium adcommodatas, ius Romanum autem omnis prudentiae civilis fontem atque promum condum esse, arbitrabantur. Statuta proin breui et angusto ambitu concludenda ac constringenda esse, et ita intelligenda, ut vix vquam recederent a iure Quiritium, pronunciabant. Hinc summa in eis mixta fuisse, ita, ut magni nominis Icti dudum iustas querelas egerint, et eruditis lucubrationibus medelam adferre incertitudini, nauarint operam. Verum animus non est, catalogum eiusmodi Dd. pertexere, sed ob oculos tantummodo ponere vnum alterumque caput iuris Bremensis, ad contractum emtionis venditionis pertinens. Statutorum quidem Bremensium et iuris communis differentias generatim P. KOCH exposuit, sed interpretes statutorum KREFTINGIVM, ALMERVM atque WACHMANNVM vnice sequutus, et iuris Germanici scientia destitutus, in eisdem cum iis errores incidisse videtur. Felicioribus auspiciis rem adgressus est Vir consularis B. CASPARVS A RHEDEN in variis dissertationibus ius patrum explicans, cuius vestigia egregie dein pressit excellentissimus IOHANNES SCHOENE, Antecessor Bremensis, et agnati et praeceptoris fautorisque nomine a me venerandus. Quamuis igitur doctissimos viros iam habeam praeuertes, spicilegia tamen adferre loco speciminis inauguralis, et selecta iuris Bremensis ratione contractus emtionis venditionis explanare, illustrare atque ex fontibus iuris gentis Germanicae genuinis eruere, liceat.



CAPVT



CAPVT I.

IVRE BREMENSI CLERICI IMMOBILIA BONA ADQVIRERE PROHIBENTVR.

§. I.



Iuris Romani pariter ac naturalis regula hunc in modum se habet: quilibet rerum suarum moderator atque arbiter res suas in alios transferre, alienasque res adquirere potest. Huic normae conuenienter, sacerdotes olim apud Romanos et clerici generatim, qui paciscendi facultate praediti erant, libere et emere et vendere res, quae in commercium cadunt, etiam immobiles, poterant. Iure canonico quidem a negotiis et negotiationibus arcentur clerici, *cap. i. X. ne cler. vel mon. sec. neg. se inum.* tantum tamen abest, vt canones iis emtionibus rerum immobilium interdixerint, vt potius frequentes in clerum alienationes summis imperantibus et Statibus Imperii ansam dederint, singularibus constitutionibus licentiam hanc, in incommoda publica vergentem, coercendi. Igitur EDVARDVS I. Rex Angliae fanciuit, ne liceat praedia dare collegiis monachorum, quod HENRICVS V. simili modo prohibuit, teste POLYD. VERGIL. L.

XVII. *Hist. Angl.* De Venetis id ipsum G. MVND. de honor. et muner. cap. 6. testatur. Quamuis enim PAVLLVS V. Pontifex Romanus excommunicatio- nis fulmen in eos immiserit, id tamen caruit effectu, et a Venetis, legis iustitia fretis, est spretum. Vid. BODINVS de *Republ.* L. V. c. 2. In Gallia lege Regia derogatum esse facultati monasteriis et clericorum congregationi, inscio Rege, aliquid vel donandi, vel legandi, tradit THVANVS *histor.* L. III. De Britannorum hac in re institutis similibus euoluantur *Parliamentary Debates* Tom. XIII. pag. 9. Tom. XX. pag. 243. De aliarum gentium legibus conspirantibus legatur *Suite de la clef du cabinet* Tom. II. pag. 237. Tom. VII. pag. 359. Tom. XXVIII. pag. 386. Pari modo in multis Germaniae regionibus et ciuitatibus principes et urbium rectores salutari consilio superstitionis subiectorum liberalitati obicem posuerunt. Igitur ne fiscus exemptione bonorum, in clericorum et monachorum ordines transmissorum, detrimentum caperet, alienationes huiusmodi atque venditiones partim restrinxerunt, partim prohibuerunt. Conf. HERTIVS de *superior. territor.* §. XI. Cuius generis statuta etiam a summis Imperii tribunalibus adprobata et rerum iudicatarum auctoritate firmata legimus apud GAILIUM L. II. *obseru.* 32. et 56. et WEHNERVM sub v. *Ewigkeit*, et KLOCKIUM de *contrib.* cap. XII. n. 89. seq. Quemadmodum haut ita pridem ordines prouinciales episcopatus Monasteriensis edictum prohibitorium, de immobilibus rebus non transferendis in manus mortuas, conficiendum esse, existimarunt. Qua de re conferatur illustris MOSERI *Reichs-Fama* Part. VI. pag. 513. 545. 551. et Part. XV. pag. 744.

§. II.

§. II.

In statutis patriis pari modo sancitur *stat. XXX.* pag. 137. secundum *ordin.* KREFTING: *Neen Borger ofte Borgersche schall geven, ofte verköpen, ofte tho Panden setten Wickbelde geistlicken Lüden, edder Papen, so we dat broeke, wurde he des verthüget mit tween schwaren, de schall der Stadt geven sief Mark vnd ok schall de Koop vnd Settinge vnstede wesen.*

Hic donationes, venditiones et oppignorationes aedificiorum, quae *Wickbelde* vocantur, clericis factas, inualidas declarari, videmus. Vox *Wickbelde* loco citato significat proprie praedia urbana, in ciuitate veteri sita. De vocabuli origine varias quidem interpretes protulere sententias, quas exponere omnes et deriuationem rimari, haut operae pretium erit. Hanc qui scrutari cupiunt, eos ablego ad doctissimum EGGELINGIUM in *singulari diatribe* de hac voce, et WEHNERVM *Obseru. pract.* in v. *Weichbild*, et illustrem ARHEDEN in *diff. de iure handfest.* Brem. e. III. §. 4. Hoc tantum animaduersione dignum videatur, eandem legem iam in antiquis statutis Bremensibus, quae anno MCCCIII. promulgata fuere, occurrere *stat. V.* Porro cum hoc statuto nostro conferendum est *stat. XI.* pag. 249. *ordin.* KREFTING. quod parentibus post separationem liberorum, bona in quemcunque, exceptis clericis, transferre permittit: *So wohr een vnser Borger is sunder Wyf, edder een vnser Borgersche abne Mann, de we Kinder hebbet van oeknen delet, edder berakden, de moegen woll met oebrem Gude, edder met oebrem Erve, dat oeknen blift, dohn wat se willen, so se dat Erve nicht en verkopen, edder vergeven, an geestliken Lüden.* Itidem hoc statutum

non recens est, sed ex antiquioribus depromptum; in his enim id occurrit *ordal.* CXII.

§. III.

Huiusmodi autem alienationes tum illicitae habentur Bremae, tum multam quinque marcarum efficiunt; modo probatum fuerit duorum iuratorum testimonio, re vera factam esse emtionem venditionem. Ea verba: *wurde he des verthiigbet mit twee Schwarzen*; cet. Iurati hic erant personae publicae, quae quotannis e ciuibus a senatu eligebantur. Hi nempe adhibebantur negotiis ciuium et eadem fere munera obibant, quibus nostra aetate notarii funguntur publici. Passim de his in statutis patriis mentio fit, atque in codice membranceo statutorum antiquiorum, anno MCCCIII. confecto, quem tabularium Bremense publicum seruat, sub finem statutorum, scripta sunt nomina iuratorum, e quatuor vrbis parochiis anno MCCCLXVII. electorum. Praemittitur pag. 55. d. cod. decretum, quod adscribere, non abs re erit, quum requisita iuratorum inde cognoscantur: „Anno Dni 1367. in Profesto Beati Siluestri Pape, infra scripti fuerunt electi in „iuratos ciuitatis Bremens. et si inter eos aliquis fuerit, qui sit illegitime natus, aut lito aut dans censum „cere et huic electioni consenserit, et scienter se elegi „fecerit, emendabit cum viginti marcis Bremens. conuictus duobus testibus. Et si aliquis se inhoneste re „xerit, deponatur; cet. “ Ex his patet, quanam olim iuratorum Bremae fuerit conditio. Itaque illustri PFENDORFIO, summi nominis Icto, *obs. iur. vniu.* Tom. II. in adpend. p. 71. adstipulari non possumus, existimanti, in statutis nostris per vocem *Schwarzen*, ciues iuramen-

to ciuium obstrictos intelligi. Ceterum cum statuto hoc maximam partem conuenit statutum Verdense in *Momum. ined. Bremens.* quae cura P. R. VOGTII prodierunt p. 279.

§. IIII.

Non defuerunt Pontificis Romani caussae nimis fauentes Dd. qui, an huiusmodi statuta valeant, tum dubitarunt; tum eadem etiam, ceu pietati parum consentanea, reprobarunt. Conf. PECK de *amortiz. bon.* c. 6. Verum non leuibus legislatores moti rationibus illa sanciuere. Primum enim non videtur e re esse ciuitatis, si peregrini, sacramenti religione ciuitati non obstricti, e. c. clerici, immobilia in vrbe possideant. Dein possessiones clericorum, iurisdictione ciuili exemptae olim erant, nec ad communia ciuitatis onera sustinenda aliquid conferebant; vid. MEVIUS ad *stat. Lubec. L. I. tit. 2. art. 6.* quam ob rem antiquioribus temporibus Senatus Bremensis statuti huius auctoritatem iustis de caussis semper seruauit. Ita anno MCCCLXXV. inualidam declarauit venditionem partis molendini aquaticis Godofredo Balleer cum clericis initam. Pari modo quum Ericus Sch^wechbausen anno MDCXXV. Eberhardo We^ddemeier, ad S. Stephani canonico, domum vendiderat, ob statutum illud contractum nullum esse, censuit Senatus. Hodienum mutata rerum facie, euiluit illius statuti vsus; Hierarchia scilicet papali penes euangelicos sublata, qui sacro apud nos munere funguntur, ciuium loco habentur, ciuilique potestati subsunt. Quamuis enim euangelicae ecclesiae ministri priuilegiis etiam apud nos polleant, haec tamen exigua esse videntur, si cum pontificiorum, qui *αυτονομίαν* adepti sunt, immunitatibus conferantur. In primis autem hodienuum bona patri-

patrimonialia clericorum, eadem plerumque onera sustinere debent, quibus laicorum bona adfici solent. De quibus plura protulit Dominus PRAESES *Iur. Canon.* Tom. I. pag. 99.

CAPVT II.

IVRE BREMENSI RERVM IMMOBILIVM
DOMINIVM IN PEREGRINOS TRANS-
FERRI NEQVIT.

§. I.

Antiquo Quiritium iure praedia Italica vrbana atque rustica non nisi in ciuium Romanorum dominio, vt vocatur, Quiritario, esse, nec peregrinis vendi traditue poterant, et aduersus hostem aeterna auctoritas ex XII. tab. praescripto erat. Vt enim pleno iure possiderentur eiusmodi bona, requirebatur alienatio solemnns per mancipationem. Tralatitia est rerum in res aut mancipi aut nec mancipi diuisio, quam prae ceteris versumili ratione B. A BYNCKERSHOEK illustrauit. Inter res mancipi, praedia Italici soli primo loco numerabantur. Conf. VLPIANVS Fragm. XVIII. I. et BYNCKERSHOEK c. III. Haec nempe adhibitis libripende, antestato et quinque testibus ciuibus Romanis solemnns ritu tantum vendi et alienari poterant; atque actus huius legitimi, ciues tantum Romani participes fiebant. Conf. L. 77. D. de R. I. et HEINECCIUS *ant. Rom.* L. II. tit. I. §. 18. seq. Paullatim vero hic rigor iuris antiqui ab vsu recedebat; nimirum ius ciuitatis Romanae, ex ANTONINI constitutione, omnibus
in

in Imperio Romano degentibus conferebatur, *L. 17. D. de statu hom.* quemadmodum IVSTINIANVS differentiam bonitarii et Quiritarii dominii reiecit in *L. vn. C. de nudo iure Quirit. toll.* Hinc euenit, vt in vniuerso iuris corpore vix diuisionis inter res Mancipi et nec Mancipi fiat distincta mentio, teste HOTTOMANNO in *Antitriboniano* p. 113. seq. Add. EDM. MERILLIVS *L. VIII. obs. 38.* Igitur iure nouo quaelibet immobilia libere cuilibet vendi, et a quolibet adquiri possunt, nisi pacta, vel contractus, vel vltimae voluntates, vel speciales aliae exceptiones impedimento sint, quo minus id fieri possit.

§. II.

Bremae immobilia, intra milliare ab vrbe sita, tantummodo ciui Bremensi vendi possunt. Hanc in rem lata est lex in statuto XXVIII. p. 139.

Neen mand van vnser Borgern schall na desen Dagen neenerley Erve-Gut, dat belegen sy buten Bremen, op eine miele Weges nab verkoeppen, versetten, ofte rente vpuemen, noch vergeven jenuerley Wyse, den vnser Borgern. Were, dat dit jemand broeke, de schall idt beternz mit twintig Mark, vnde de Koop, sate, vpueminge vnd Gifte schall vnstede wesen.

Noua haec est lex, nec in antiquiori statutorum collectione, promulgata anno MCCCIII. cuius supra iam mentionem inieimus, legitur.

§. III.

Conuenit cum hoc nostro statuto ius Lubecense *L. I. t. 2. art. 5.* in quo, subiuncta poena *L. marcarum* argenti, cauetur:

B

Dafs

Dasß kein Bürger sein Erbe, Rente vnd Eigenthum einem Gast, oder Fremdbden, oder andern, welche vnser Bürger nicht sein vorsetzen, oder vorpfaenden, vorkauffen oder zu treuen Haenden demselben zustellen lassen solle. cet.

Mindanis eadem in statutis suis sanctio placuit; Statut. Mind. T. II. art. I. apud CRYSIVM p. 45. et similis norma in ducatu Württembergico, Ratisbonae et in aliis Imperii ciuitatibus obseruatur. Vid. SCHILTERI diff. de iure peregrin. §. 34. et 45. quae praxi iuris Romani p. 103. seqq. inserta est. Add. GAILIUS L. II. obs. 19. et BODINVS L. I. de republ. c. 6. Huc etiam spectat L. vn. C. non lic. habit. metrocom.

§. III.

Neque huiusmodi leges, quae forenses a possessione immobilium arcent, rationibus suis destituuntur; etenim Imperii ciuitates alique status minus potentes, haud raro rebus suis recte prospicere videntur, si extraneos et inprimis potentiorum statuum subiectos, quantum fieri potest, a possessione rerum immobilium, in territorio arctioribus limitibus circumscripto, amouent. *Extra dubium est*, inquit MEYIVS ad ius Lubec. L. I. t. 2. art. 5. n. 7. *statuta haec optima ratione niti, dum publicae vtilitati consulunt, cuius interest, bona sub ditione ciuitatis sita apud subditos remanere sub eiusdem iurisdictione, quo iudicia eorum nomine instituta sint faciliora, munerum impositio et exactio promptior, augendi habitantium numerum et patrimonia amplior occasio; vnde ea non adeo odiosa, vt nonnullis persuasum, sed magna ex parte fauorabilia esse consequitur.* Add. CRYSIVS ad ius Mind. tit. II. decif. I. p. 59.

§. V

§. V.

His praemissis ad ipsam statuti nostri explicationem nos accingamus. Primo notandum, vocem *Erve-Gut* hic non laxo significato pro omnibus bonis hereditariis, sed strictiori sensu sumendam pro bonis immobilibus. Innuunt id verba, quae sequuntur, *dat belegen sy buten Bremen*. Nec praecise requiritur, ut sint bona auita; licet voci *Erve-Gut* hanc potestatem inesse, nonnulli putent. In statutis enim nostris voces *Erve*, *Erve-Gut*, bona quaeuis immobilia, quocumque modo acquisita denotant; eodem significato venit vox *Erbe*, *Erve*, in iure Lubecensi, excitato supra loco apud MEVIUM ad d. art. n. 27. In statutis Verdensibus apud ILLUSTRUM PVFENDORFIVM in *adpend.* ad T. L. *obseru. iur. vniu.* p. 81. seq. in Statutibus T. I. apud eund. p. 171. stat. Brem. 33. 38. 44. 45. et passim eadem significandi vis occurrit. Dein a quatuor negotiorum generibus hic excluduntur omnes illi, qui ciuitatis iure non gaudent. Prohibentur ciues I. illis immobilia vendere, II. oppignerare; quum alias, prohibita generatim alienatione, non semper oppignoratio quoque interdicta censeatur; arg. L. 24. D. de pign. III. annuos ex immobilibus redditus vendere; qui alias etiam nonnunquam inter immobilia numerantur. Conf. GAILIVS L. II. *obs.* 10. IIII. quouis alio modo in eos aliquid transferre; id quod verba generalia, *noch vergewen jenerley Wyse*, satis innuunt. Porro additur, *dat belegen sy buten Bremen vp ene Miele Weges*; quoniam territorium ciuitatis patriae sese ultra milliare spatium ab vrbe non extendit.

§. VI.

Variae huius statuti causa proponi possunt quaestiones, quas enucleare et pro ingenii modulo dirimere, animus est. Primo loco dubium incidit, an dispositio statuti extendenda sit ad locationem conductionem? Adfirmat id glossator ad v. *versetten*, praesertim ratione locationis ad longum tempus factae. Verum iura de emtione venditione, non statim ad locationem extendenda sunt, et deficit causa, quod ab extraneo difficilius onera publica exigantur; quin etiam incolae, quamuis ciuitatis iure non gaudeant, consentiente Senatu, praestito certo quotannis censu, *das Schutz-Geld*, in vrbe degunt, et quotidie aedes ciuium conducunt, quum tamen vendere incolis immobilia non liceat. Ceterum, ne forensium multitudine vrbs impleatur, iam dudum salutari ratione a maioribus terminus quindecim dierum, iis, qui fortunaram suarum sedem Bremae collocare cupiunt, praefixus est, intra quem nomina sua profiteri, ciuitatis iura acquirere, et homagio obstringi debeant. Sancit hoc iam lex reipublicae patriae antiquissima *die kundige Rolle*, art. 3. et *die neue Eintracht*, art. II. 13. cuius art. 15. qui in primis huc spectat, sequentem in modum se habet:

Dejenigen ok, so in diisser Stadt als Fremde inkamen, vnd sich alhier entholden willen, desülften schoelers keene Borger in sine Bekusing thosick innehmen, noch densülften Hüser edder Boden verhiiren, se sien tho vorne Borger geworden, vnd dem Rabde also met Loften vnd Eden verstricket, by Poen 5. Bremer Mark, iät en geschege den mit sunderliker Ohrlove des Rabdes.

Idem

Idem singulari edicto anno MDCCXXXVI. repetitum, et forensibus aedes hortosue in vrbe et ciuitatis territorio, nisi data a Senatu venia fuerit, locare atque vendere prohibitum est. Consulatur *Sammlung der Stadt Bremischen Verordn.* p. 423.

§. VII.

Porro quaeritur, an emtio venditio conualescat, si emtor ciuium numero ante traditionem adscriptus fuerit? In hoc argumento occupatos video MEVIUM ad *Lubec. L. I. t. 2. art. 5. n. 35.* et A RHEDEN in supra citata diff. c. 2. §. 9. et glossatorem KREFTINGIUM p. 140. Regulas iuris strictè adplicaturi, emtionem illo in casu carere effectu, arbitramur. Aiunt enim leges: quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere, *L. 29. D. de R. I.* Hunc in modum sententiam tulit Senatus in caussa *Boeke Bocken* contra *Sander Hüneken* anno MDCXVI. et inualidam declarauit venditionem, licet venditor ante traditionem ciuibus fuerit adscriptus. Vid. KREFTING. d. I. Pari ratione in aliis huiusmodi caussis esse iudicatum, refert A RHEDEN c. I. Temperandus autem naturali aequitati conuenienter congruenterque erit hic iuris rigor I. si ea conditione emtio venditio confecta fuerit, vt emtor prius albo ciuium inscribi et iuramenti religionem Senatus obstringi debeat. Vid. MEVIUS d. I. n. 97. A RHEDEN d. I. II. Si Senatus alienationem concesserit, quam consensionem facile emtorem impetraturum esse, existimo, quum impedimentum per acquisitionem iuris ciuici remoueatur, atque hinc ratio statuti cesset.

§. VIII.

Anceps etiam est quaestio, vtrum dispositio statuti nostri, ad successionem ex testamento et ab intestato extendenda sit? Negantem sententiam tenent MEVIUS d. l. n. 55. seq. et ARHEDEN l. c. §. XIII. Nondum tamen a me impetrare possum, vt iis adstipuler. Non me mouet nota illa Dd. in primis superioris aevi cantilena: Statuta striete sunt explicanda. Aut enim statutorum conditores posthabita aequitate leges concinnasse, dicendum erit, aut naturale illud interpretationis extensiuae principium, quod GROTIUS de *I. B. et P. L.* II. c. 16. explanauit, vbi eadem iuris ratio, ibi eadem est iuris dispositio, ad statuta quoque erit adplicandum. Si itaque in memoriam reuocamus statuti nostri rationem, quam supra MEVII verbis laudauimus, non possumus diffiteri, generalem eam esse, et *vouedertag* nostros id sanctione hac efficere voluisse, ne forenses, iurisdictioni Senatus haut subiecti, immobilia in ditione Bremensi possiderent. Verba sane, *noch vergehen jemigerley Wyse*, ni me omnia fallunt, generalia sunt, et quamlibet alienationem sub se comprehendunt. Qui autem testamento suo, seu heredis titulo, seu legati nomine, extraneo aliquid relinquit, is certe alienat, nec de eo dici poterit, *dass er seine Güter nicht vergebe*. Licet igitur haec verba ad successionem ab intestato directe non spectent, ratio tamen, vt modo diximus, statuti generalis ad eam quoque erit extendenda. De obseruantia legis, speciatim quantum ad has successiones, iam dudum testimonium perhibuit glossator KREFTINGIUS vir consularis et testis, si quis alius, fide dignus.

§. VIII.

§. VIII.

Quod ad successionem ex testamento attinet, haec quidem reponit d. I. illustris A RHEDEN: I. quod vox alienationis tantum ad negotia inter viuos spectet. Sed verbum *vergeven*, generale esse, et quavis alienationum species continere, iam obseruauimus. Simili modo verba adfinia *geven*, *weggeven*, denotant vltimae voluntatis dispositione seu testamento aliquid donare, vel legare in stat. X. p. 239. ordin. KREFTING. stat. XII. p. 248. et stat. XIII. p. 259. II. quod alienatio, quae per statutum prohibetur, per speciales casus declaratur, adeoque vltra hos prohibitio non sit extendenda. Ast verba finalia, *noch vergeven jenigerley Wyse*, satis infringunt hocce argumentum. Generalia haec sunt, et omnes alienationum species, ni in cassum et temere ea adiecta dixeris, includunt. III. Rationem dissensus collocat laudatus auctor in multa, qua lex transgressores afficit, *de schall idt betern mit twintig Mark*. Quamuis magni momenti illud videatur esse dubium, quum apertis et inspectis testamenti tabulis testator vita iam functus multam hanc persoluere nequeat; re tamen penitus inspecta, parum momenti in illo situm est. Lex enim non de titulo, sed de alienatione ipsa, quae perficitur traditione, loquitur, atque hinc etiam, vt recte et MEVIUS d. l. n. 66. seq. et glossator ALMERVS monent, vendens et non tradens, non incidit in poenam statuto adiectam. Nullus ergo dubito, quin heres, qui aedes in testamento legatas forensi tradit, elogium testatoris sequutus, ad multam hanc soluendam sit obstrictus.

§. X.

§. X.

Quum in lege alienatio inualida declaretur atque nulla, verbis: *vnd de Koop, Sate, vprnehmung vnd Giste schall vnstede wesen*; consequens est, vt emtor pretium, quod soluit, repetere possit. Quod etiam obtinere existimo, licet emtor extraneus hanc statuti nostri sanctionem satis perspectam habuerit; arg. *L. 3. §. fin C. comm. de leg. et L. 1. C. si vendito pignore agatur*, quum venditor cum damno emtoris reddi locupletior non debeat. Repugnare quidem videntur huic adser-tioni *L. 27. C. de euict. L. pen. et ult. C. de rescind. vend. L. 7. C. comm. vtr. iud.* atque aliae leges, quibus illis, qui scientes rem alienam, alii legatam, aut fideicom-misso grauata emunt, re euicta, actio ad pretium re-petendum denegari videtur. Verum enim vero haec dubia iam VOETIVS ad *D. tit. de euict. §. 32.* et alii interpretes posuerunt ob oculos et refellere adnisi sunt, ad quos lectorem, ne hoc argumentum hic fustus expendens, extra oleas vagari videar, ablego. Actionem au-tem ad interessè dari tantum ignoranti; et euictionis praestationem cessare, si quis scienter rem alienam, seu alienare prohibitam emit, et leges condocent et in-terpretes. Conf. *L. 4. §. 5. D. de dol. mal. et met. exc. et L. 27. C. de euict.* Huc spectat quoque *L. 3. §. 4. C. comm. de leg. vi* cuius emtor, sciens rei grauamen, aduersus venditorem actionem habet tantum ad restitu-tionem pretii, neque duplae stipulatione, neque melio-ratione locum habente; cum ei tantummodo pretii caus-sa, quod sciens dedit pro alienare, satisfieri debeat.

§. XI.

Quaedam adhuc, antequam haec missa facimus, sub-

subiungendae sunt conclusiunculae: I. Ex generali, quae statuto, de quo quaestio est, adhaeret, clausula, *noch vergeven jenigerley Wyse*, colligimus, quoslibet modos ad dominium transferendum habiles excludi, adeoque v. c. permutationem, dationem in solutum, donationem rerum immobilium, cet. sub legis prohibitionem omnino comprehendi. II. Dum cauetur, ne ciues immobilia bona vendant aliis, quam ciuibus; inde efficitur conclusio: forenses, qui ex concessione Senatus, in vrbe patria, praestito quotannis pro tutela pretio, degunt, (*die Schutz-Verwante*) immobilia adquirere non posse, nisi, quod nonnunquam fit, Senatus ipsis hoc specialiter indulgeat. III. Quum forenses ab oppignoratione immobilium et censu, seu redditibus annuis, excludantur; consequens est, vt hypothecae iudiciales et handfestae iis non sint vtilitati. Vid. A RHEDEN d. l. c. 2. §. 8. seq. Hinc, si forte handfestae, extraneo oppignoratae, in concursu creditorum producantur, ius praelationis penes forenses haud esse, liquet. IIII. Omnia haec ita obtinent, nisi Senatus forensibus facultatem bona immobilia in ciuitatis territorio acquirendi, aut iura handfestarum, largiatur; quod et olim, et nostra aetate, si publicae rationes id suaerint, saepe factum esse, nouimus. Conf. MEVIUS d. l. n. III. et A RHEDEN d. diff. §. XI.

§. XII.

Ceterum hoc, quod illustrauimus, statutum semper in viridi fuit obseruantia. Ita superiori seculo noluit Senatus, vendi praedium consulis Hauemanni nobili a Hammerstein Satrapae Bruchhausiano, nisi ea conditione, vt ciuitatis iura acquireret emtor, et

C

nun-

nunquam praedium absque Senatus auctoritate alienaret. Anno MDCL. emtionem venditionem praedii *Sebalds-Brücke*, ab Henrico Tieling cum extraneo initam, ratam demum habuit Senatus, postquam emtor homagium praestitit. Porro an. MDCLXVIII. centurioni Dano *Hans Crüger*, veniam agros suos extraneo vendendi petenti, Senatus eam non dedit, motus auctoritate statuti illius. Alia exempla in medium produxit A RHE-
DEN d. l. §. 9.

CAPVT III.

IVRE BREMENSIS PRIMVS EMTOR PRAEFERTVR,
LICET SECVNDO EMTORI RES SIT TRADITA.

§. I.

Virum naturali iure, solo contrahentium consensu, quo emtio venditio perficitur, dominium rei venditae in emtorem transferatur, an ad dominium traditio rei requiratur? anceps est quaestio, a magni nominis Ictis dudum agitata, quos inter GROTIUM atque COCCIVM duumuiros hic nominasse sufficiat. Ille de I. B. et P. L. II. c. 12. §. 15. ipso contractus momento transferri dominium posse, atque hunc morem simplicissimum esse, condocet. Hic sententiam GROTII impugnare et naturali iure traditionem necessariam esse, nec solam contrahentium partium voluntatem requiri, euincere adnititur, in singulari, qua hoc argumentum ob oculos posuit, dissertatione, quae vol. I. dissertat. ipsius n. 19. inserta est. PVFENDORFIVS erciscundum agit, et utramque sententiam restringit *Lib. III. de I. N. et G.*
cap.

cap. VIII. §. 6. et 8. Bifariam confiderat dominium, primo ceu qualitatem moralem, iuxta quam res ad aliquem pertinere, ipsiusque dispositioni fubiecta esse intelligitur; dein quatenus aliquid facultatis physicae adiunctum habet, secundum quam statim actu exerceri queat. Hanc, putat, possessionem, quae traditione acquiritur, largiri; illam sola partium voluntate transferri. Statim sane, si de certa re, pretio et consensu partium constat, venditorque se omni, quod haecenus ipsi circa rem venditam competiit, iure se abdicauit in fauorem emtoris, hic solus de re pro arbitrio disponere potest, quum nec venditori iuris aliquid, cui renunciauit, superfit, nec quisquam alius praeter emtorem illud adquirat.

§. II.

Romani iuri naturali multa addiderunt, et traditione non pactis dominia rerum transferri, putarunt. *L. 20. C. de pact.* Titulum scilicet a modo acquirendi dominium, et obligationem ad alienandum ab ipsa alienatione, ad lites praecidendas, fecernere voluerunt. Idem placuit Graecis, teste THEOPHRASTO apud STOBAEVM *Serm. 42.* nec non Hebraeis, vti obseruauit SELDENVS *L. VI. de iur. nat. c. 25.* et in *prolegom. ad Lib. de success. ab intest.* Non tamen ad amussim hoc principium semper seruarunt Romani, sed nunquam regulam naturalem sequuti sunt et effectus domini ei aliquando tribuerunt, in quem ius suum dominus transtulerat, non actualem possessionem. Regula: res perit suo domino; propositio est iuris naturae. Romani contra eum, in cuius fauorem iuri suo alter renunciauit, etiamsi traditio non accesserit, periculum ferre voluerunt; §. 3. *I. de emt. vend.* licet eundem ante

traditionem nondum dominum esse, pronunciauerina. Idemque placuit ratione commodorum, quae ad rem venditam ante traditionem accefferunt. *L. 7. et 8. D. de per. et comm. rei vend.* Immo ob eandem aequitatis normam, et vt legi ciuili satisfaceret, Icti traditionis varia genera inuenerunt.

§. III.

Ex iis, quae diximus, consequitur, re duobus vendita, iure naturali primum emtorem, licet secundo res tradita fuerit, praefendum esse. Renunciauerat enim semel venditor iuri, quod in re habuerat; non itaque ipsi magis integrum erat, de eadem re villo modo disponere, nec secunda alienatione, dolose suscepta, plus iuris in alium transferre poterat, quam fur, rem furto ablatam alteri vendens tradensque. GROTIUS in hac quaestione, a principio, cui, vt supra monuimus, superstruxit doctrinam suam, videtur discedere, dum, si res bis vendita sit, eam venditionem, quae in se continuit praesentem dominii translationem, siue per traditionem, siue alio modo factam, valituram adserit d. *L. II. c. 12. §. 15. n. 2.* Recte autem ex nostra quidem sententia pronunciat PVFENDORFIUS de *I. N. et G. L. V. c. 5. §. 5.* nihil facultatis moralis circa rem (quam traditione demum in venditorem transire, GROTIUS autumat) post emtionem venditionem perfectam, penes venditorem remanere, quam obligationem impendendi operam, vt res vendita in manus emtoris perueniat.

§. IIII.

Aliter hic se habent leges Romanae. Re duobus vendita et alterutri tradita, eum dominum esse iubent, cui primum res tradita fuerit, licet alter prius emerit.
L. 72.

L. 72. D. L. 15. C. de R. V. L. 6. C. de her. vel act. vend. L. 11. C. de act. emt. L. 9. §. 4. D. de Publ. in rem act. Conspirant hae leges cum Romanorum hocce principio: non pactis, sed traditionibus rerum dominia transferuntur. Destituitur primus emtor omni, aduersus secundum, cui res tradita est, actione. Non realis ipsi suppetit actio; quoniam dominium nondum adquisiuit; *d. L. 6. C. de her. vel act. vend.* non personalis; quum nullum inter ipsum et secundum emtorem negotium, vim obligandi producens, confectum sit. Si igitur regulas iuris Romani presso pede sequimur, secundum strictum ius, idem dicendum erit, licet secundus emtor, cui res tradita est, primam venditionem non ignorauerit, adeoque mala fide egerit; quamquam ex aequitate Dd. primo emtori, hoc in casu, actionem in factum reuocatoriam concedant, testibus GALLIO *L. II. obs. 55. n. 11.* et BRUNNEMANNO ad *d. L. 15. C. de R. V. pag. 288.* Praeterea iure Romano competit emtori aduersus venditorem actio emti personalis, ad praestandum id, quod interest; *L. 1. pr. L. 11. §. 9. L. 12. D. de act. emt. L. 6. C. de her. vel act. vend.* et eiusmodi venditor incidit in crimen falsi, *L. 21. D. ad L. corn. de fals.* et stellionatus. *L. 3. §. 1. D. stellionatus.*

§. V.

Ius patrium hic cum iure communi iterum diuortium facit. Nomothetae patrii, sine vlla distinctione, traditane res duobus vendita, alterutri sit, an non, illum, cui primum vendita est, praeferunt, idemque in oppignoratione et donatione disertis verbis sanciunt. Textus cardinales, qui hanc rem definiunt, adscribere liber:

C 3

Stat.

Stat. XXXXVI. pag. 151. Ordin. KREFTING.

So wor en Man vordynghet ofte vorkoft, ofte tho Weddeschatte seth wy derweghene sin Erve enemene Manne, edder twen, ofte so welkerhande Gud ydt sy, oft se twydrachtig daromme werden, so we densie den ersten Kop edder den ersten Weddeschatt tughen mach, de schall den Kop edder den Weddeschatt beholden. (a)

Ordal. XIII. pag. 182. *Ordin. KREFTING.* verba se ita habent:

Kumt en Klage vor den Voget bynnen ver Benken umme Gyfte de geven sy by lyve edder na dode, vnde en ander kome, vnde seghe, de Gyfte sy eme ebr geven, wat he der ereren Gyfte vullenkomen mach, de schall stede wesen. (b)

§. VI.

- (a) Statutum hoc ex ordal. antiquo LXVIII. desumptum est. Plane conuenit cum eo *statutum Verdense* LXX. apud ill. PVEENDORFIVM in *adpend. T. 1. obs. iuris vniu.* pag. 101. sqq. nec non *Stadense* P. 1. stat. 3. apud eundem pag. 171. Hamburgenses praeferunt possessorem; si autem neuter possidet, primum emtorem. Vid. *Hamburg. Gerichts-Ordn. vnd Stat. P. II. tit. VIII. §. 18.*
- MCCCIII. ex quibus, vt supra monui, recentiora maximam partem deprompta sunt, non occurrit, sed a legislatoribus haud ita pridem additum est. Conspirat illud profus cum *statuto Verdense* CIII. apud ill. PVEENDORFIVM d. l. pag. III. Ceterum lectio statuti et ordalii nostri genuina est, et cum authentico exemplo, quod in curia Bremensi adseruatur, conuenit. Paulo aliter legit ill. PVEENDORFIVS d. *adpend.* pag. 78. aliter ill. ARHEDEN in *diff. de stat. Bremens. ad mercat. compos. §. 42.*
- (b) Ordaliū hoc in antiquis ordaliis et statutis de an.

§. VI.

Ex legibus hifce, generaliter loquentibus, facile perfpicimus, primum emtorem, creditorem pignoratitium et donatarium fecundo femper praeferri, licet fecundo res tradita, aut hic in vacuam rei poffeffionem miffus fuerit. Vere itaque pronunciat ill. A RHEDEN in diff. de *stat. Bremenf. ad mercat. comp.* §. 43. in venditione mercium, ad id, vt primus emtor res habeat, easque a fecundo, cui traditae sunt, repetere poffit, non requiri, vt figno ipfius mercatorio, (quod marcam vulgo vocamus) antequam fecundo effent venditae, fint fignatae. Romae nota erat haec quafi traditionis fpecies; *L. 14. §. 1. D. de per. et comm. rei vend.* eaque ad repellendos alios, qui eandem rem emerunt, inter mercatores faepe adplicatur hodienuum. Vid. MARQVARDVS de *iure mercat.* L. II. c. 9. Bremae tamen nec lege, quae generaliter lata eft, nec vfu illa eft recepta. Legislatores noftri requirunt tantum, vt venditor omni, quod circa rem ipfi competebat, iuri, in fauorem emtoris, in quem hoc tranftulerat, femel renunciaret. Ex mente illorum nihil iuris, quod fecundo emtori cedere potuerit, venditori fecundae venditionis tempore fupereft; quandoquidem dominium rei venditae liberumque rei venditae arbitrium, ipfo illo translationis iuris actu, in emtorem iam tranfit; id quod iuri naturali, vt fupra indicauimus, omnino confentaneum eft.

§. VII.

Ceterum verba, *edder na dode*, quae in ordalio XIII. occurrunt, non de mortis caufa donatione, quae fecundum ambulatorem hominis voluntatem reuocari potef, *L. 30. D. de mort. cauf. donat.* agunt, vt recte obser-

obseruant ill. A RHEDEN d. l. §. 42. et glossator KRETTINGIVS ad hoc *ordal*. Explicanda sunt potius per eas donationum species, quarum effectus, traditio scilicet rei donatae, post mortem donantis reiicitur, qualis est in *L. 42. de mort. caus. donat.* Quin etiam eo tempore, quo confecta sunt statuta illa, subtilitates Romanorum testamentarias et scrupulosam illam mortis causa donationis formam, nec cognitam in patria, nec vsu receptam fuisse, multis de causis arbitramur.

§. VIII.

An idem, quod de emtione venditione, patriae leges praecipiant, ad locationem conductionem quoque extendendum sit, ita, vt, si secundo conductori vsus rei locatae traditus fuerit, prior nihilo minus sit praefendus? quaestio interdum instituitur. Qui iuris Romani maiestatem nimis comiter colunt, et patria iura reiiciunt, nituntur hic regula: Statuta sunt striete explicanda, nec debent aduersari iuri Romano. Verum hic erat superioris aevi cibus; hodie ICTI, cordatiores saltem, meliora edocti, glandibus illis amplius non vescuntur. Sane si legum nostrarum conditores rationibus suis, quae ad leges eo, vti factum videmus, modo, ferendas eos commouerunt, non destituti fuerint, nemo ibit inficias, regulam, vbi eadem est ratio, ibi eadem iuris dispositio, in iure patrio etiam locum habere. (a) Hanc ob causam de emtione venditione statutum praefinitum, etiam ad locationis contractum, extendendum est, quamuis cortex verborum statuti, nostram non firmet sententiam. Vti enim in contractu emti-

(a) Vid. excellentissimus et con-
sultissimus RICCIUS *im zuver-*
lassigen Entwurf von Stadtge-
setzen pag. 447.

emtionis, venditor omni, quod ipsi in re erat, iuri in perpetuum renunciat, illudque in emtorem transfert; ita quoque vsui rei suae ad certum, quod inter partes placuit, tempus, renunciat locator, transfertque eundem in conductorem. Non itaque locator, de vsu rei, post hanc renunciationem amplius disponere potest; nec quidquam iuris in secundum conductorem transferre. Dein verbum *verdyngben* in statuto illo corroborat nostram interpretationem. *Vordyngben* significat paci-sci; et *Gedinge* de omnibus pactis solet praedicari. Hinc *dingen*, *verdingen* etiam indicat locare; quemadmodum *Geding*, locationem denotat, et *sich an einem verdingen*, per verba: locare operas suas alicui, exprimitur. Vid. *Spec. Alem.* c. 122. §. 1. 2. et c. 132. §. 3. et SCHILTERVS in *Glossar.* p. 221. In locatione autem operarum, normam praescripsit amplissimus Senatus in der *Verordnung des Gesindes*, quae an. MDCCXXXIII. promulgata est §. 7.

Im Fall sich jemand gelüsten lassen sollte, sich bei zween Herren zu vermietben, vnd von beiden das Mietgeld zu nehmen, so ist er gehalten, bei demjenigen, welcher ihn am ersten angemietbet, oder das Mietgeld gegeben, in Diensten zu treten, vnd dem andern nebst Wiedererstattung des Handgeldes eines viertel Iabres Lohn zu bezahlen, oder, wo die Vermietbung laenger auf ein oder mehr Jahre gescheben, die so genandte halbe Iabr-Schaaren zu entrichten, vnd soll überdem nach Befinden bestrafe werden. Conuenire quoque cum hac lege aliqua ratio ne videtur L. 26. D. locat.

D

CAPVT



CAPVT IIII.

 INTERVENTIO TERTII IN EMTIONE,
 vulgo *einem andern im Kauff fallen*,
 IVRE BREMENSIS PROHIBITA EST.

§. I.

Quamdū inter emtorem et venditorem, de re pro-
 certo pretio vendenda, nondum omnia determinata sunt,
 et in certum pretium ab vtroque contrahente consensus
 datus non est, negotium dicitur imperfectum; nec is,
 qui rem aliquam emere constituit, ante quam contra-
 ctus emtionis venditionis fuerit confectus, ius aliquod
 alios ab emtione excludendi, iure communi acquirit.
 Vti enim emtor a tractatibus recedere, atque eiusdem
 generis res alibi emere potest; ita alteri quoque licet,
 ante perfectum negotium, aliis bona sua vendere. Dif-
 sentit quidem SCHILTERVS *Exercit.* ad D. XXX. §.
 135. qui, *hoc iure utimur*, inquit, *ut etiamsi contractus*
nondum est perfectus, is tamen, qui primo cum venditore
de re venali tractauit, praeferatur tertio interuenienti,
et venditor ad perficiendum contractum cum primo licitan-
te etiam extra processum subhaftationis officio iudicis com-
pelli possit. Firmaturus sententiam suam, subiungit
 praeiudicium Scabinatus Ienenfis, qui illum in modum
 regimini Vinariensi consulenti respondit. Tres porro
 adducit pro stabilienda opinione rationes: quandoqui-
 dem I. illa interuentio plerumque minus honesta est, ex
πλεονεξία oriunda, et cum inuidia coniuncta. II. quia
 aduersatur regulae, quod tibi non vis fieri, alteri ne fe-
 ceris. Praeterea III. rerum pretia priuato ausu ista ra-
 tione

tione augentur reique publicae et commercii damnum inferitur. Verum haec argumenta ex iure imperfecto sunt deducta, et ita comparata, vt legislatores aliquo modo impellere possint, vt assensum ipsis prebeant; non vero semper locum habent. Virtutis saepe est ita agere; non legis. Dissuadent quidem rationes istae, sed absque iuris auxilio et auctoritate non prohibent; nec in iure communi, quo vitimur, lex prohibitiua, hac de re exstat.

§. II.

Licet autem huiusmodi prohibitionem in legibus et canonibus frustra quaesieris, in iure patrio tamen eandem reperies. Statutorum conditores forsân ob oculos posuere a SCHILTERO expositas, vel alias causas, imprimis autem adlaborarunt, vt lites illa constitutione inprimis mercatoribus praeciderent; quam ob rem ill. ARHEDEN hunc patrii iuris articulum, ad exempla statutorum, commercii inseruentium, refert *d. diff.* §. 27. Est autem statutum, quod huc spectat, LXXXV. ordin. KREFTING. p. 135.

Ock en scall nement deme andern hindern in sineme Kope. Kumpt dar ock we to, he ne scall yn deme Kopenenes deles wachtende wesen, des en wille eme gbinnen, de dar ersten uppe komen ys, vnde dar ersten vmmehinghet myt synen guden Willen. Breke desset yenich man, de scall der Stadt gheven ene Mark, also dicke, also he yd breke, vnde des mit twen Borgeren vnbeschroken eres Rectes vortughet wurde. (a)

D 2

Idem

(a) Ex statuto antiquo est et nouae collectioni, quae CXXXVII. desumptum hoc hodiernum vitimur, insertum

Idem prohibutum est in der kundigen Rolle (a) art. LXV.

Id en schall nemand hindern den andern an sinem Kope, noch einen andern in den Kope treden, edder he schall nah Gelegenheit des Gudes bestrafet werden.

§. III.

Conueniunt cum hisce legibus statuta Cellensia, art. XI. n. 1. quae interuentionem tertii, sub poena tertiae partis pretii, quo res vendita est, prohibent. Ius Eimbecense cap. XXI. n. 2. addita 2. florenorum, Ottern-dorpicum 10. marcarum poena art. XVII. interdicit, et Osterodense art. XXV. florenorum 10. multam impingit iis, qui interuentione et licitatione contractum emtio-

(a) Lex haec ciuitatis Bre-
menfis publica, primum lata
est a. MCCCCLXXXVIII.
vbi ex prooemio constat, et
singulis annis die *Laetare*,
finito cultu diuino, qui ma-
tutino tempore peragendus
est, a Secretario apertis fe-
nestris e curia publice prae-
legitur. Tractu temporis,
prout ratio reipublicae id
suadebat, alii articuli adie-
cti, alii reiecti sunt; atque
hinc orta est diuersitas le-
ctionis et numerorum in co-
dicibus. Ill. PVENDOR-
FIVS d. l. descripsit codi-
cem, qui a. MDXXXVIII.
proclamatus est, eo, vti
diximus, modo. In hoc ar-
ticulus, de quo est quaestio,
occurrit num. 116. En ver-
ba: *Ock en schall nemand hin-
dern den andern an sinem Ko-
pe by einer Mark.* Dicitur
autem *kundige*, quia cuius
nota est ob repetitam quo-
tannis publicationem. *Rolle*
vocatur, quoniam olim hu-
iusmodi leges et ordinatio-
nes membranarum inscriptae, cy-
lindri instar colligabantur.
Hinc statuta opificum dicun-
tur adhuc *die Amts-Rollen*.
Ceterum nomen *der Buer-
sprake*, quo legem hanc in-
signit ill. PVENDORFIVS,
quantum liquet, dicta lex non
solet in patria mea ferre.

emtionis, ab aliis inceptum, interrumpunt. Quod reliquum est, nostrum hoc statutum viridi adhuc est in obseruantia; attamen hodiernum probatio interuentionis, *des fallens im Kauff*, non tantum per duos testes ciues Bremenses, qualem probandi speciem ius nostrum exigit, sed quouis alio modo fieri potest.

CAPVT V.

DE RESIGNATIONE RERVM IMMOBILIVM
IYDICIALI.

§. I.

Iure Romano, ad transferendum rerum dominium, regulariter nulla magistratus auctoritas requirebatur. Traditio, etiam immobilium, quam Romani exigebant, fiebat priuatim; nempe venditor officio suo functus erat, si vel emtori inductione in aedes fundumue, vel breui longaue, vt vocant, manu, vel adhibito quodam signo alio, rem tradiderat. Vltima haec traditionum genera videntur ICTI, vt legibus, quae dationem de manu in manum requirebant, satisfieret, studiose effinxisse, probe scientes procul dubio, secundum ius naturae, solam abdicationem vendentis, et acceptionem ementis, vt supra monuimus, effectum transeuntis dominii producere, et, quod Iustinianus ait §. 40. *I. de R. D. et A. R. D.* nihil aequitati naturali tam conueniens esse, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Olim quidem duobus modis adquirendi rerum dominia ciuilibus, mancipationi et cessione in iure, auctoritas publica praesto erat; et quidem

in cessione, vera; in mancipatione, ficta. Quinque enim testes, libripens et antestatus mancipationi interesse debebant; illos autem testes populum Romanum eiusque quinque classes designasse, antiquitatum Romanarum scriptores dudum ostenderunt. Cessio quidem in iure in multis capitibus conspirabat cum resignatione iudiciali, quam in sequentibus explicabimus. Seruauit nobis ritus, quibus cessio illa fiebat, BOETHIVS L. III. *comm. in topic. Cicer.* et fragmentum CAII *Iust. L. II. tit. 1. post §. 6.* inseruit SCHVLTINGIVS *Iurispr. Anteiustin.* p. 84. seq. *In iure, inquit, cessio fit hoc modo: apud magistratum populi Romani, vel apud praetorem, vel apud praesidem prouinciae is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Dein postquam hic vindicauerat, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet; quo negante aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem addicit; idque legis actio vocatur.*

§. II.

Quamuis autem iure nouo haec cessio in iure dudum sublata sit, in plerisque tamen Germaniae ciuitatibus ad fine aliquod negotium, resignatio scilicet iudicialis, *die gerichtliche Lassung, Verlassung, Auflassung*, in venditione immobilium requiritur. Caue tamen, ne hunc morem mere Germanicum, a ritibus mancipationis et cessionis, Quiritibus uisitatis, deriuues. Ex Ripuariorum legibus traditio et solutio pretii in mallo publico fieri debebat, Tit. LVIII. §. 1. et iure Sueuico, obseruante SCHILTERO *Exercit. XXX.* insinuatio praescripta fuit. Inprimis tamen apud Saxones et eos Germaniae populos, penes quos iura Saxonica olim vigue-

vi guerunt, resignatio dudum fuit in vfu. REPKO-
 VIVS consuetudinem hanc Saxoniam speculo suo in-
 feruit *Spec. Sax. L. I. art. 9. et 52.* Iure Lubecensi *L.*
III. T. 6. art. 1. seq. cautum est: dafs, wan liegende Gründe
und stehende Erben verkauft werden, dieselben vor dem
Rhade verlassen, und dem Kaeuser labr und Tag gewaeh-
ret werden müssen. Quae instituta, aliae ciuitates vicinae
 Pomeraniae, Holsatiae et Megalopoleos, quae Lube-
 cenfe ius secutae sunt, non receperunt solum, sed et
 Bataui, Geldri, Flandri aliique quam plurimi Germa-
 nicae profapiae populi. Consul. SCHILTERVS loc. cit.
 et KLEIN. in *diff. de resign. iudiciali* cap. I. n. 139. seq.
 et Dominus Praefes in dissertatione de *inuestitura per*
birretum §. 3.

§. III.

Apud Bremenses iam seculo XIII. et XIII. resigna-
 tio haec iudicialis in emtione venditione aedium, in vr-
 be veteri sitarum, *der Wickbelde*, obrinuit. Praefiniunt
 eam ordalia antiqua, quorum collectio an. MCCCIII.
 aut an. MCCCIII. (a) confecta fuit, ordal. 21. et
 52. quae dein in nouam statutorum ordinationem an.
 MCCCXXXIII. est redacta.

Adpingam ipsa patrii iuris verba:

Ordal. XLVIII. ordin. KREFTING. p. 152.

Neen Mann en mach Wickbelde kopen, de ghene, de dat
vorkoft, de late id vp vor dem Richte to rechter dink tyd
dages.

(a) In codice membranaceo articuli an. MCCCIII.
 antiquorum statutorum, adiecti, post hos ordalia.
 quem archiuum ciuitatis Bre- Igitur non liquet, vtrum
 menfis seruat, primum le- haec anno MCCCIII. an
 guntur statuta de an. anno MCCCIII. collecta
 MCCCIII. dein XXV. fins.

dages. Vnde de gheue, de dat kost, de geue sinen Vredemyn deme Vogede vnde den Radmannen also des Stades Recht is.

Ordal. LII. p. 154.

So wor en Borgher, ofte Borgerſche kumpt bynnen ver Benken, vnde let en Erve, vnd will des wiſſe noch werden, en is he dar nich to beſeten, dat he des wille waren, Iabr vnde Dach, also Stades Recht ys. Vnde de ghenne, de dat erve kost, vnde gift sinen Vredemyn dem Rade, vnde deme Vogede, vnde de Voget schall deme, de dat erve kost heft, enen Vrede werken.

Ordal. LIII. ibid.

We ok en Erve let vor deme Richte, de schall komen vor den Rad mit deme ghennen, deme he dat gelaten heft, vnde laten dat schryven in dat Bock, darinnen de Schedinge des Rades in schrift yn deme Iabre vnde dage, also dat gelaten ys. Besyt he dat darna Iabr vnde dach sunder rechte Byſprake vor Rade ofte vor Richte, des mag he geneten vnde ane Not blyven.

Idem fere placuit Goslarieſibus. Vid. LL. Goslar. apud LEIBNITIVM T. III. rer. Brunſu. tit. I. art. 97. Brunſuicenieſibus P. I. art. 55. apud LEIBNITIVM. Stadenſibus P. I. ſtat. 2. apud ill. PVFENDORFIVM T. I. obseru. iur. vniuers in adpend. p. 171. Verdenſibus ſtat. XV. apud eundem p. 83. aliisque ciuitatibus.

§. III.

Extra oleas vagari viderer, ſi omnem de reſignatione iudiciali doctrinam hic loci explicarem. Quin etiam actum agerem, quum illam fuſe ſatis expenſam videam a

IOH.

IOH. KLEINIO, in singulari dissertatione, cui adde sis MEVIUM *ad ius Lubec. L. III. tit. VI. et BEYERVM in delineat. iur. German. L. I. tit. XVIII.* Antequam tamen ad alia progredior, nonnullas proprietates resignationis huius iudicialis praelibare, liceat. In tres abeunt imprimis Dd. sententias; alii, eam traditionem iudicalem esse, nec dominium in emtorem aliter transferri, nisi illa praecefferit, aiunt. Conf. KLEINIUS *d. l. c. r. n. 9.* et MEVIUS *d. l.* Aliam viam ingreditur GEORG. BEYERVS *in delineat. iur. German. L. I. c. 19.* existimans: vrbium Germanicarum incolas, imprimis nautas, aurigas, opifices, et eius generis burgenfes, seruilis fuisse conditionis vsque ad HENRICI V. tempora; imperantes vero nobiles, qui ex agro in vrbes concefferant, non omni iuri ratione hominum priorum, vrbium iam habitatorum, renunciaffe, sed dominium directum in fundos atque aedificia sibi referuasse, in cuius memoriam, vel si ma- uis, signum, resignationem hanc rerum immobilium coram iudice debere fieri. Alii denique actum hunc autumant, iudicalem confirmationem esse contractus, inter partes initi, proin vt dominia rerum certa sint, nec creditores vendentis, emtorue soluto pretio periculum incurrant, requiri.

§. V.

Vltimae sententiae quin meum qualemcunque cal- culum adiiciam, facere non possum paulo curatius ex- pendens iura Bremensia. Reliquae enim minus proba- biles mihi videntur in adplicatione ad statuta nostra. Pri- mam nempe opinionem quod attinet, nullus in resignatio- ne actus occurrit, nullum symbolum, ex quo traditio ali- qua colligi possit. Patet hoc ex sollempnitate, qua resi- gnatio Bremae fit, quam infra recensebimus. Traditio

-omix

E

insti-

instituitur priuatim, plerumque ante resignationem; venditor itaque, traditione iam facta dominus amplius non est, siue ius Romanum spectes, siue ius Germanicum. Quandoquidem leges Romanae, ad dominium transferendum, traditionem tantum requirunt. Secundum iuris Germanici analogiam autem, perfecto contractu emtionis venditionis, dum venditor iuri suo in re vendita renunciat, illudque in emtorem transfert, dominium transire, supra ostendimus.

S. VI.

Porro nondum a me impetrare potui, vt crederem, incolas urbium Germanicarum, colluuiem sanguinis feruiliis olim fuisse; et dominos ius in hosce homines, sibi reseruasse, atque imperantes directum dominium aedium in urbibus constructarum habuisse; cetera; quibus omnibus, ceu fundamento, opinionem suam superstruunt ICti, qui BEYERO adstipulantur. Iussit quidem HENRICVS AVCEPS, qui, vt refert WITICHINDVS L. I. *Ann.* p. 639. *urbibus exstruendis die noctuque operam dabat*, nonnum quemque ex agrariis militibus in vrbes se conferre, reliquis vero habitacula construere, et tertiam partem fructuum, militum opera, qui ruri degebant, collectorum, seruare; vt idem WITICHINDVS et SIGEB. GEMBLAC. in *chron. ada.* MCCCCXXV. aliique testantur. Quis autem legitimis eueicit, eos, qui tum vrbes, inprimis Saxonicas, incolebant, et postea in iis domicilium fortunatarum suarum ponebant, aedesque exstruebant, seruiliis omnes aut plerosque conditionis fuisse? Ingenuos multos, atque libertinos praecipue, qui parum aut nihil proprii agri possidebant, inde a seculo X. numerum incolarum maximo-

ximopere auxisse, quum in vrbibus per opificia, aliaque ministeria, facilior esset vitae sustinendae ratio, dudum obseruauit CONRINGIUS *de vrbib. German.* §. 81, Manuissoribus autem ius aliquod in aedificia, a libertis in vrbibus exstructa, competiisse, quis vnquam probatum dedit? Multo minus probabili modo ostendi potest, eos, qui ciuitatibus regendis praesuerunt, dominium aliquod directum, quantum ad aedes ciuium, sibi adrogasse, quod per inuestituram in nouum possessorem, vti BEYERVS aliique existimant, esset transfereendum.

§. VII.

Confirmationis itaque iudicialis vice resignationem hanc fungi, potius dixerim, eamque requiri, vt dominia rerum certa sint, nec nouus dominus, creditorum aliorumue persecutioni sit obnoxius. Ex ipso sane actu resignationis, Bremae vsitato, id, ni me omnia fallunt, elucet. Mandatarius nimirum venditoris, adornatus, quod producendum est, mandato, iudicio superiori indicat, mandantem aedes suas certo pretio emtori vendidisse, ac petit, vt contractus confirmetur, aedesque in libro publico, dem *Erbe-Buch*, emtori adscribantur. Haec ita ipsum inter et venditorem gesta esse, venditore, interrogante praeside, adfirmante et euictionem spondente, documentum resignationis publicum emtori exhibetur. Eodem fere ritu Lubecae peragitur actus resignationis. Consul. MEVIUS ad *ius Lubec.* L. III. T. 6. art. I. n. 18. seq. Aliorum ritus ex FELDMANNO in *Tract. de iure in re et ad rem* c. 13. n. 34. et SANDII *consect. Geldr.* T. 2. c. I. n. 6. aliisque discere licet.

§. VIII.

Sed redeamus ad ius patrium. Statim obseruandum est, iuxta ordal. 49. resignationem iudicalem tantum requiri in den Wickbelden, seu praediis in ciuitate veteri sitis. Postquam autem amplissimus Senatus Bremensis incolis vrbis nouae handfestarum et hypothecarum publicarum iura, ratione aedium, quas inhabitant, concessit, handfestae autem et hypothecae publicae, ex edicto, die XXI. Maii an. MDCCXLV. promulgato, non nisi productis resignationis iudicialis documentis, constituuntur, etiam huius effectus causa resignatio in noua illa ciuitate est adhibenda. Fit autem resignatio *vor dem Richte*, coram iudicio; Ordal. 49. id quod Lubecae quoque obseruatur. Vid. *ius Lubec.* L. III. T. 6. art. 2. Hinc euanescit dubium BEYERI d. I. §. 13. pronunciantis, non proprie coram iudice qua tali, sed coram magistratu, hoc negotium confici. Verba *binnen ver Benken*, quae occurrunt in Ordal. 52. locum iudicii satis denotant; quatuor scilicet subsellia in curia Bremensi composita sunt, quibus insident, qui iuri dicundo praesunt et intersunt. Restat adhuc explicanda vox *Vredewyn* in ordal. 49. et *Vredewerken* in ordal. 52. *Vrede*, *Friede* significat securitatem seu quietam possessionem. Vid. SCHILTER. in *Glossar.* sub v. *Frid.* Verba *Vrede werken* interpretamur hunc in modum: securitatem praestare, possessionem tranquillam reddere. In libro Salico MS. monasterii Ebersheim. apud eundem auctorem sub v. *Aseze* legitur: *Wird ein Hof hie aseze (venalis) dasz in einer will verkosen, vnde einen andern gewinnen, dene soll der Schultzeisse drinne setzen, vnde soll im Friedewerken an des Abbates Stete.* In statutis Goslar. T. I. art. 95. apud LEIBNITIVM T. III. *rer. Brunsvic.* reperiuntur

riuntur haec: *Wenne men enes egenen Vrede warcht vor Gerichte, darna schall öeme de Richter des Vrede werken; cetera; et in antiquis legibus Brunsvic. P. I. art. 55. apud LEIBNITIVM c. I. sequentia occurrunt: Sive eyn erve kost, de schall komen vor den Voghet, vnde schall seck des laten Vrede werken, vnd sine Vredepenninge geven; cetera. Vredewyn autem erat certa vini quantitas, quae sportularum loco pro actu resignationis olim exhibebatur. Add. ill. PVFENDORFIVS obseruat. iur. vniuers. T. I. obseru. 94.*

§. VIII.

Progredimur ad effectus resignationis, praesertim iure Bremensi vsitatos. Praecipuus sane is est effectus, quem ordal. 53. exponit: *Bezyt he dat darna lar vnde dach sunder rechte Bysprake vor Rade ofte vor Richte, des mach he geneten vnde ane Not blyven; scilicet emtor, qui, adhibita iudiciali resignatione, aedes per annum et diem possedit, plane securus redditur et defenditur tam aduersus eos, qui iure retractus statutarii sunt vsuri, quam contra emtorem, qui forte prius emerat, vel alios, qui ius aliquod in re prae se ferunt. Praescriptio anni et diei, iure patrio constituta est, quae, quomodo intelligenda sit, docet ordal. 71. p. 155. So wor ein Mann schuldich ys, vnde Erve heft binnen Wickbelde vnde dat vorkost vnd vpleht binnen ver Benken tho rechter dyngtyd: Vreschede dat de ghenne, deme he schuldigh is, de mach dat Erve byspraken binnen lare vnde binnen dage, das is, en lar vnde ses Wekene vnde dre dage, so he smer schulde vullenkomen moghe. Iure quidem Germanico communi praescriptio tricennalis vsitata est; in emporiis tamen, ex regula ciuilibus prudentiae, ad commercia promouenda, terminus hicce passim est coarctatus, vti grauiter obseruat HEINECCIUS elem. iur. Germ. L. II. T. I. §. 112. pag. 453. Ita iure Lubecensi L. III. T. VI. art. 3. res immo-*

biles anno et die praescribuntur, nisi ille, qui actionem instituit, pereger factus fuerit. Idem Hamburgi constitutum reperio *Statut. Hamburg. R. II. T. 8. §. 7.* *Nach Ausgang lares vnd tages kan niemand verkaufte, verlassene vnd in dem Stadtbuch zugeschriebene Erbe anfechten, es sey dan, das er durch rechtmæssige Sache ansheimisch gewesen, so hat er billig von Zeit der Wissenschaft noch Jar vnd tag zu genießen.* Eundem hunc praescriptionis terminum in nonnullis Belgii variisque Germaniae ciuitatibus praefinitum esse, obseruarunt SIM. VAN LEWEN in *cons. for. P. I. L. 2. c. 10. n. 12.* GROTIUS *introd. L. II. c. 7. n. 35.* et HEINECCIUS in *diff. de praescript. ann. Lubec. a iure comm. diuersa §. 13.* Aliis quidem in locis, in quibus praescriptioni annali locus est, dies, qui anno additur, naturaliter computatur pro spatio XXIII. horarum; Bremae autem completitur sex hebdomades et tres dies, vti ex ordal. 71. patet. Ceterum qui plura de annali variarum ciuitatum praescriptione scire cupiunt, ii adeant, hoc argumentum solide explanantes, STRYKIVM, HEINECCIUM, praecipue autem iam supra laudatum IOH. SCHOENIVM; iste nempe Hamburgensium, ille Lubecensium, hic Bremensium praescriptionem in *diff. de differ. iur. stat. Brem. et iur. Rom. circa praescriptionem*, vere et grauius explicauit.

§. X.

Secundus effectus hunc in modum se exferit: emtor aedium, ante resignationem iudicalem, nec handfestas, nec in immobilibus suis publicam hypothecam constituere potest. Non quidem hoc in constitutione handfestarum et iudicialium hypothecarum, ius statutarium praecise requirit, vti glossator KREFTINGIVS ad ordal. 49. et illustris A RHEDEN in *diff. de iure handfestar. Brem. c. 3. §. 10.* arbitrari videntur. Nullibi enim in statutis patriis resignatio

tio ad handfestas et oppignorationes publicas requiritur. Praeterea ratio, qua vterque vtitur, quod scilicet nemo nisi dominus eas constituere possit, dominium autem praediorum resignatione demum transeat, iam supra a nobis explosa est. In edicto Senatus autem, promulgato die XXI. Maii an. MDCCXLV. cuius iam §. VIII. mentionem iniicimus, prudenter iniungitur, vt is, qui hypothecas iudiciales aut handfestas constituere velit, documentum resignationis iudicialis in cancellaria primum exhibere debeat. Igitur resignationis necessitas hodiernum in hypothecis et handfestis maxime obseruatur. Spectant huc praecipue §. §. IIII. et V. in verbis:

Es sollen keine handfesten gewilliget oder ausgefertigt werden, wan nicht die Lassung vorher an der Cantzelei produciret, vnd, ob vnd in wie weit das Haus beschweret, daraus erfeken worden. Es sollen auch die gewilligten handfesten nicht ebender ausgefolget werden, bevor denen Herren Wietherren bei deren Vorlesung die dazu erforderte Lassung ebenfalls vorgewiesen worden. Desgleichen auch keine gerichtliche bypotheken ohne vorhergaengiger Beibringung der Lassung inskünftige zugestanden werden soll; cetera.

Quod reliquum est, constat inter omnes, legem illam admittere exceptionem in auitis iisque aedibus, quae per successionem, vel ex testamento, vel ab intestato, ante longam annorum seriem; ad possessores eorumque maiores peruenerunt. Quum enim antiquis temporibus resignationes saepius neglectae fuerint, sufficiet procul dubio huiusmodi in casibus diuturnitas possessionis probata, nisi dominium notorium sit.

§. XI.

Hi sunt effectus resignationis, in statutis definiti.
Quod

Quod ad primum spectat, quem §. VIII. explicauimus, adhuc notandum, I. tempus praescriptionis, annum et diem inde a die resignationis currere, si nouus dominus iam a venditore in possessionem missus; sin minus, a die translatae post resignationem possessionis; hoc enim indicant ipsa verba ordal. 53. *Besit he dat darua lar vnde dacht hunder rechte Byssprake vor Rade ofte vor Richte des mach he geneten vnde ane Not blyven*; II. iudicalem interpellationem requiri ad interrumpendam praescriptionem hanc, quae in ordalio dicitur *Byssprake vor Rade ofte vor Richte*. Ceterum III. si verus dominus, aut is, qui ius aliquod in re vendita et resignata habet, venditionis et resignationis tempore adfuerit, huic succurrendum est, si post reditum annum et diem praeterlabi non fuerit. Iure Hamburgensi et Lubecensi hoc disertis verbis cautum est; vid. supra §. VIII. Id etiam iure communi obtinet, quod absenti restitutionem largitur, L. I. L. 21. *D. ex quib. caus. mai.* quum praescriptio annalis non currat ignorantibus, quibus negligentia, fundamentum praescriptionis praecipuum, imputari nequit. Conf. MEVIUS ad ius Lubec. L. I. T. VIII. art. 1. n. 31. seq. et KLEINIUS in d. diff. c. 3. §. 16. De aliis effectibus, quos Dd. resignationi iudiciali tribuere solent, agere nihil attinet. Bene multos enim enumerarunt KLEINIUS d. diff. c. 3. MEVIUS ad ius Lubec. L. III. T. 6. art. 1. et Dominus Praefes in *opusculis minoribus* p. 285. seq. ad quos lectorem remittere liceat.



PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATO
DETHARDO SHOENE

S. P. D.

PRAESES

Quemadmodum morum venustatem et eruditionem tuam elegantem, quibus ordini Ictorum te valde probasti, et fauorem tuum erga me singularem, adhuc feci plurimi; ita in votis meis semper fuit, ut si non officium cumulare explere, qualemcunque tamen amicitiae significationem dare possem, usque dum voluntati paratissimae aliquando par responderet facultas. Igitur multis de causis, hodierno die publice ex animi sententia, PATRI TVO ILLUSTRIS, consuli reipublicae Bremensis splendidissimo, et tibi PRAENOBILISSIME CANDIDATE, gratulor de summis in iure utroque honoribus, quam primum in te conferendis. Praecipue vero voluptate me afficit dissertatio inauguralis, a te conscripta et solide elaborata. Spem enim concipio, fore, ut aequi rerum existimatores, eam legentes, scientiam tuam tum in arte legitima generatim,

F

tum

tum speciātim in iure patrio, elogiis exornent; quem applausum et ipse mihi duco honori, quum hac in academia per triennium non summis viris solum, ducibus et magistris, sed et me vsus sis praeceptore, iam autem in theatro gloriae, in certamine nimirum litterato, virtutis tuae satellite atque administro. Quamuis ingenue fatear, me tuam doctam commentationem nec emendasse, nec illi aliquid addidisse, nec in nouam formam eam transtulisse, sed tuam esse omnem. Ceterum, vt eum sempiternae laudi tibi sint noui honores, exopto, tum tu quod egeris, id velim Deus O. M. fortunet. Hac ratione absens laetabor tuo nomine, quod fructum egregiae eruditionis praestantissimum tuleris. Interrea, vt beneuolentia tua perpetua perpetuum nominis tui praenobilissimi cultorem me complecti velis, rogo quam humanissime. Scripsi Marburgi Cattorum die XVIII. Iul. a. r. s. c1616ccliiii.

Sunt






Sunt animi dotes monstrandae, vt praemia laetus
Apprenset quiuis dotibus aequa suis.
Hinc merito monstras belle concessa talenta
Suavis Amice, Tua. Laus erit ampla Tibi.
Gratulor ex animo! Te praemia digna sequentur
Atque feres patriae commoda multa tuae.

Boni ominis gratia optimo suo Amice
gratulabundus scribebat

Eidem

ad. d. d. d. d. d. d.

CAROLVS de DALLWIGK



HONORVM DOCTORALIVM

CANDIDATO

PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO,

DETHARDO SCHOENE

S. P.

Ita absoluis, auspicato omni, quod egregie hactenus de-
currebas, stadium! Ita, emenso nunc curriculo, bra-
beum TIBI debitum, iure optimo, reposcis! Cedat
vtrumque TIBI, o optime amicorum, ex voto et TVO,
F 2 et meo,



et meo, faustissime! Accipe meritorum TVORVM eo dignius praemium, quo aequiores ipsos nosti Arbitros, in TE id conferre paratos. Ingredere, CANDIDATE DIGNISSIME, honoris, TE blande allicientis, atrium, et prima hacce laurea redimitus eundem gressum TVVM eodem, quo soles, generoso ardore prosequere. Sic, quod anhelat mens TVA, sic, quod in vera virtut veraque laude summum est, felicissime obtinebis. Sic, paternarum auitarumque virtutum ex assè heres, Perillu- stris ac Magnifici PARENTIS TVI summa merita partamque gloriam tuam facies, et, ingenti aliquando rei- publicae bono, meritis merita cumulabis. En, AMI- CE, linguam, en mentem amici, nemini umquam se- cundi! Adderem plura, gratos plausus, laeta omnia: sed renuit prob dolor! ingens, ad tristissimum nuncium, qui me aliquot abhinc diebus corripuit peritusque prostravit luctus, cuius TV et veherentiam et iustitiam ipsemet cognoscis. Vale ergo AMICE probatissime resque TVAS age ex votis. I, proficiscere, reuere te hospes, et, quod scio, beneuole memor

Marburgi
a. d. 16. Iul.
MDCCLIII.

TVI

ex animo

D. IKEN.

Unmög-

Unmöglich kan ich es geschätzer Freund verhehlen,
Daß ein geheimer Trieb in meinen Adern glüht,
Dein Wissen Dein Verdienst der Welt iz zu erzehlen,
Die Dein heut junges Glück in erster Blüte sieh.

* * *

Allein es könte ja der blinde Argwohn glauben
Daß ein erzwungnes Lob die Freundschaft Dir gereicht.
Drum Deinen Ruhm Dir nicht, geschätzer Freund,
zu rauben
Ists besser, daß ein Freund bescheiden denkt, und
schweigt.

* * *

Und sicher kan ich iz den Kiel hier niederlegen
Weil Deiner Tugend es nicht an Verehrern fehlt,
Weil Lehrer, welche nie nach Günst zu richten pflegen,
Dir heute Lob, und Ehr, und Beifall zugezehl.

* * *

So sey denn stets beglückt, auf den erwünschten Wegen,
Die Deine Klugheit wähle, und Dir die Tugend zeigt:
Und steht denn einst Dein Glück in vollem Ruhm und
Segen,
So sey auch unverrückt, dem, der es wünscht, geneigt.

Franz Berens
aus Bremen.

G

VIRO



VIRO PRAENOBILISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DETHARDO SCHOENE

HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO
DIGNISSIMO

S. P. D.

CONRADVS SMIT BREMENSIS.

Etsi plane superuacaneum esset, declarare multis mu-
tuum amorem ac Amicitiam, quae inter nos jam
dudum subsistit et efflorescit, neque TV aliquo meo, aut
Eruditionis aut Virtutum Tuarum elogio indigeas; adeo
tamen amici officio deesse non potui, ut hunc, qui Do-
ctorales Laureas Tibi pro merito confert diem, praeter-
mitterem, nec ceteris Amicorum Votis mea coniungerem.
Solertissimum Inaugurale Specimen, quod de Contractu
Emtionis Venditionis conscripsisti, singulari Tuae Do-
ctrinae testimonium praebet omni exceptione maius, im-
primis quum in difficiliorem vetusti iuris Patrii campum
pedem proferre allaborasti. Gratulor itaque Tibi ex ani-
mo,



mo, VIR PRAENOBILISSIME, dignitatem summam,
quam iamiam adepturus es, gratulor Illustribus Honora-
tissimisque Parentibus Filium vota sua longe superantem;
gratulorque toti splendidissimae Familiae, Cognatum omni
laude dignissimum. Ceterum ex animo opto, ut iter su-
scipiendum ad optatum perducas finem, et ut redeas felice
in Patriam nostram dulcissimam, quae Te non minori
cum laetitia excipiet, quam honoribus iam dudum prome-
ritis afficiet. Denique, ut saluus ac incolumis semper sis,
utque mihi in posterum faueas, illud a Supremo Numine
Tibi apprecor, hoc vero a Te, pro Amicitia nostra, mi-
hi expeto.

Vale


Dab. Marburgi

MDCCLIII, d. 15. Iul.

G 2

En





En pulchrum studii finem, Pindoque fauente
Ipsa Tibi virtus nomina pulchra facit.
SCHOENI! noster amor, patriae qui scita recenset,
Doctaque exponis iura vetusta manu.
Adplaudit Themis et meritos gratulatur honores
Laus Te Doctorem et gloria digna manet.

Singulari eruditioni atque virtuti Praenobilissimi
Candidati ex animo adplaudebatur et abiarienti
prosperrima quaeque adprecabatur

ALBERTVS SCHVMACHER
Bremenfis.

CORRIGENDA.

Pag. I. lin. 10. pro cont. VIII, legendum cont. IIII. p. 17. l. 22. quod leg.
quod p. 25. l. 27. *bestrafte* leg. *bestrafes* p. 27. l. 26. *unbesbrochen* leg.
unbesprochen l. 27. *Rechts* leg. *Rechtes* p. 29. l. 10. *siebat* leg. *siebat*
p. 31. l. 19. *ordal*. 21. leg. *ordal*. 24. p. 34. l. 23. a. MCCCCXXV.
leg. a. DCCCCXXV. p. 35. l. 23. *venditorem* leg. *entorem* p. 38. l. 2.
R. II. leg. P. II. p. 40. l. 7. *hunder* leg. *funder* l. 13. *adfaerit* leg.
abfuerit.



Marburg, Diss., 1753-55

ULB Halle

3

005 034 817



TA → α

nr 1 + 10 Stück





Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.



1,455. 5
396
1753,52

TIO INAUGVRALIS
MPLECTENS
RIS BREMENSIS
CONTRACTVS
VENDITIONIS
QVAM
AGNIFICENTISSIMO
CELSISSIMO PRINCIPE
DOMINO
FRIDERICO
E HEREDITARIO RELIQ.
ORVM ORDINIS AVCTORITATE
RAESIDE
ILLVSTRI
MARTINO KAHLE
ANDGRAVIO HASSO-CASSELLANO
ANTECESSORE ET FACVLTATIS
E H. T. DECANO
TROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS
LISSIMI SENATVS ACADEMICI
TIONI SVBIICIT
II cllocccliii.
RESPONDENS
VS SHOENE
IA-SAXO.
R BVRGI
MÜLLER., ACADEM. TYPOGRAPH.

